



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Auctoris Protestatio Ad Illustrissimos Et Reverendissimos Praelatos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10421

AUCTORIS
P R O T E S T A T I O
 AD ILLUSTRISSIMOS ET
 Reverendissimos Prælatos.

Non mirabitur fortasse quisquam, cur me elucubrationes hucusque meæ com-
 pulerint, ut præxim hanc Episcopalem commentarer, dum eadem
 in eisdem locis, ex quibus excerpta est. Sanè ratio in promptu est,
 lapides, & camenta reliqua variis diversisque terræ partibus reperi-
 ri, verum ut fabricam construant, ea coacervasse opus sit, vidi au-
 divique plerisque in locis, & cathedralibus à doctis piisque presuli-
 bus, quantum in animarum gubernio justitia administratione, beneficiorum collationibus,
 Ecclesiasticæque tuitione jurisdictionis deficiatur, & à recto tramite recedatur, & quo
 moralissimus ille D. Gregor. artem artium regimen animarum esse indubitanter asseruit,
 & Clemens primus septem Urbis regiones, septem divisit notariis, singulis attribuens, quæ
 vitas Martyrum, & res ab eis gestas diligentissimè conquisitas literis demandarent; Al-
 phabetica hanc serie volui collocare, ut minori ac faciliori procederetur indagine, & inter-
 dum multa dicere, & nunc pauca referre: at ubi dicussione egeretur aliquantula, volui
 per extensum protraxisse velum, & indixisse, ubi sufficere poterat, solas Doctorum remis-
 sive conclusiones, & placita breviter: veruntamen obijcitur, illud alibi inveniri, hujus-
 modi relicto labore, fateor, sed facilius commodiusque in unum recollecta, prosunt, de-
 serviunt, faciunt Doctorem, moxque reddunt attentum docilemque inventorem, eò
 vel maxime, cum necessaria magis, utiliora, ac practicabiliora potissimum recenseantur,
 vel qua sunt de jure novissimo ignotisque penè abstrusa Summ. Bullis Pontificum, necnon
 Illustriss. Cardinalium Sacrarum Congregationum in alma Urbe ac præcipuè S. Conc.
 Trid. delucidationibus. Illudque potissimum quod diversorum est pratoriorum, unde
 spiritualem inter ac temporalem jurisdictionem controversia oriri solet, ad hoc, ut ipsi præ-
 lati recta semita haud turbulentam sibi à Deo, perambulent commissam provinciam, lai-
 corum decus tribunalium non ledatur, & quod Casaris est Casari, & quod Dei Deo, in-
 offenso calle reddatur, & ad imitationem Dei Opt. Max. qui divina providentiâ cuncta
 gubernat, dispersa congregat, & congregata conservat; unde enim diversorum emolu-
 menta SS. Patrum, catenam in unam auream Doct. ille Angelicus cumulavit? unde ci-
 vitatis divinæ libros ex vetustissimis scriptoribus, vel Ethnicis composuit Doctor ille, lu-
 men Ecclesiæ? quid dicam de venerabili illo presbytero, qui tabulam confecit in Aristote-
 lem? quid de Cassiodoro in historiam tripartitam? quid de D. Ambrosio in libris Officio-
 rum? quid de Areopagita in omnibus, sed præsertim in divinis nominibus? quid de Hie-
 ron. de scriptoribus Ecclesiasticis? quid de Gregor. in Dialogis? quid de Isidoro in Ety-
 mologis?

mologiis? quid de Arist. in 1. Phis. & lib. 1. de Anima? quid de Platone in diversis Dialogis, ac precipue in Timæo, & Phadone? quid de Illust. Neoterico S. R. E. Card. Borromæo in acta Eccl. Mediolanensis, Varmiensis in hæreticos, Albano in Bartolum, & doctissimo Sarnano in Scotum, & Francisco Toletum in Arist. & D. Casare Baronio in vastissimis Annalibus Ecclesiæ. & laboriosissimis annotationibus in Romanum Martyrologium? quid de S. Concil. Trid. quod majori ex parte veteres Canones, & antiquorum decreta Conciliorum innovavit, ad pristinaque conatur reducere observantiam? quid de septima Synodo generali de sacris imaginibus? quid de Felici Papa in Epist. ad Petrum Antiochia Episcopum? quid de Rever. Symanca in Hæreses? Mayolo de irregularitate, & in centurias, & Leonardo Episcopo Puteolano in Fascinum? quid de D. Sylvest. Aldobrandino nostri Sum. Pont. parente optimo, legum lumine, in Imperatoriam majestatem? quid de Covarruvia, de Navarro, quid de D. Vinc. de Franc. sacri Regii Consilii Neapol. presidente suis in doctissimis Decisionibus? quid de D. Joan. Jacobo de Laurent. concive meo in opere (quod nunc molitur) de omnium suspitione judicium? & quid demum de recentioribus singulis? quòr apior? omnes recensuisse vanum, superfluumque proculdubio foret, hoc unum dicam, satis superq. esse scriptoribus modernioribus, antiquorum si placita scriptorum suum ad propositum serio afferant, quod oratorum ille maximus Romanorum pertulit, ea nostra dici posse, nostrumque ad usum accommodavimus: & illud poetæ Comici, Nil dictum, quod non sit dictum prius, & illud Sapientis, Nihil sub sole novum, sed enim juxta Hieronymi multis in locis sententiam, nusquam malevoli deficiunt, ac ubique prævalet invidia, dicam illud Hipponensis Episcopi, Sentias quicquid velis de Augustino, quicquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset. Accipiant igitur Illustres ac Rever. Presules, pupilla oculi Dei, columna Ecclesiæ, summi sacerdotes, gerentes personam Christi, eiusque Vicarii, Apostolorumque successores (hisce enim nomenclaturis appellari solent) manus hoc, quodcunque sit, illud profecto eis humiliter obtuli, ad quod multi me Prelati animarunt, quodque humane fragileque vires, quoad licuit, hæctenus nonnullis interjacentibus incommodis subministrarunt, valeant in Domino semper.

APPROBATIO.

Ioannes Claudius Deville, in sacra Theologia Magister, & divini verbi Prædicator, in sancti Pauli hujusce Civitatis Canonicus, & in hac Lugdunensi Diœcesi à Domino Dionysio Simone de Marquemont Illustrissimo & Reverendissimo Archiepiscopo librorum Censor designatus: fidem facimus nos librum inscriptum, Praxis Episcopalis R. D. Thomæ Zerolæ Episcopo Minorensi Authore, pervidisse, & in eo omnia juxta Censuram Magistri sacri Palatii Apostolici correctæ & composita invenisse. Lugduni apud sanctum Paulum 1. Cal. Junias 1615.

Ioannes Claudius Deville.

R. D. D. THOMÆ DE MESCHATIN LA FAYE, hujus libri imprimendi facultas.

Thomas de Meschatin la Faye, Comes, Canonicus, & Camerarius Ecclesiæ Lugdunensis, & Vicarius Generalis in Archiepiscopatu Lugdunensi, Opus, quod inscribitur, Praxis Episcopalis R. D. Thomæ Zerolæ Episcopo Minorensi Auctore, ut in lucem edatur facultatem concedo. Lugduni, 1. Junii 1615.

Meschatin la Faye.

INDEX